



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Lilivm Inter Spinis**

**Sterre, Jean Chrysostome van der**

**Antverpiæ, 1627**

Cap. XXIII. Puerum lesvm in visione portandum suscipit, ac Iosephi nomen  
ei confirmatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43032**

72 VITA B. IOSEPH  
rus nuntius? In omnem terram iam  
exiuit sonus nominis huius; & in fines  
orbis terræ nomen IOSEPH, quod  
ab Angelo vocatum est.

CAPVT XXIII.

*Puerum IESVM in visione portandum  
suscipit, ac IOSEPHI nomen ei  
confirmatur.*

ET si fortè sit aliquis, qui adhuc ali-  
quid quærat adijci ad confirma-  
tionem nominis IOSEPH; audiat  
quod subnecto. Ipso IOSEPH veri-  
tatem narrationis huiusmodi coram  
me & quibusdam alijs Fratibus con-  
fite, sicut superius protestatus sum,  
gavisus me occasionem habere, vt ab  
illius ore, quod ab alijs satis audieram,  
extorquerem; (nam, sicut ait quidam,  
*Et quamquam sapor est allata dul-  
cis in vnda,  
Gratiùs ex ipso fonte bibuntur aque.)*  
extemplò subieci: Hoc etiam nobis  
petimus

petimus enarrari, qualiter hoc nomen  
 Ioseph in te per os beatæ Virginis  
 iuxta maius Altare fuerit confirma-  
 tum. At ille subridens; Hoc, inquit,  
 visio fuit. Fuit autem hæc visio talis:  
 Cùm in nocte quadam diutinis fuisset  
 orationibus occupatus, & de labore ad  
 requiem lectuli rediisset; cùm iam so-  
 porari inciperet, ad eundem locum  
 sibi rediisse, à quo ab oratione recesser-  
 rat, videbatur: & ecce, respiciens ad  
 Altare maius beatissimam Virginem  
 sibi videbatur videre, \* & puerulum  
 pulcherrimum inter brachia baiulan-  
 tem. Cumque tam Matrem, quam  
 puerum cum magna delectatione re-  
 spiceret; tandem ad Matrem Domini,  
 ab ipsa familiariter vocatus, accessit:  
 tactusque & tractus desiderio deside-  
 rabilis pueri, & consueta fiducia ani-  
 matus; Charissima, da mihi Filium  
 tuum, inquit. Protrahens illa petentem  
 aliquantulum, (puto, vt magis accen-  
 deretur desiderium) tandem illi sum-

\* Et abun-  
 dare, aut  
 aliquid  
 deesse vi-  
 detur.

*Puerulum  
IESVM in  
visione  
portandum  
suscipit.*

*\* Fortè  
habeas po-  
tius.*

mè desideratum porrexit infantem; & adiecit: Porta filium meum, sicut ab Sponso meo, IOSEPH, portatus est in Ægyptum; vt sicut idem onus, ita etiam similem honorem eiusdem nominis \* habeatis. Confirmatum est itaque nomen IOSEPH in nostro IOSEPH, & confirmabitur in æternum, & vocabitur ei nomen nouum, quod os vniuersalis Dominæ nominavit. Monitus etiam à Domina & sponsa sua, ne de cetero super IOSEPH nomine aliquatenus murmuraret, tulit nomen honorificum de reliquo sine onere: & sic in consuetudinem est redactum, & in consuetudine præfatis auctoribus irrefragabiliter confirmatum, vt augmentum animæ gloriofæ etiam nomine comprobetur.